



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CXVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Lvdivicvm Regem. Eiusdem  
argumenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

nihilo minus vestra vberes gratiarum laudes rependimus: quia nos vestra epistola valde latificastis in hoc, quod dilectionem animi vestri circa Romanam ecclesiam, sicut vestri parentes ac proavi habuerunt, habere vbertim significatis; valde tamen miramur, cur ad nos legatos vestros non direxistis, sicut precati sumus. Quapropter quæso fili carissime vt ad nos ad colloquium quod cum Ludouico rege Caroli imperatoris regis filio apud Treca habituri sumus, si possibilitas non obstitit, venire acceleretis; vel si aliquo obstaculo præpedimini, vt non optamus, strenuos legatos nobis dirigite, per quos gloriæ vestræ omnia secreta, quæ animo nostro resident, fidenter mandare valeamus, locum nobis simul nomine tenus designate, quo frui vestro colloquio, & germani vestri Ludouici gloriosi regis valeamus. Quoniam de hac terra nullo modo regrediemur, priusquam, Deo auxiliante, per congrua & mutua vobiscum misceamus colloquia. Oprimus gloriæ vestram piis florere successibus.

## EPISTOLA CXVIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM REGEM.

Eiusdem argumenti.

*Dilecto filio Hludouico glorioso regi.*

**Q**UOD pro pace & vnitate sanctarum Dei ecclesiarum omniumque Christianorum a Romana sede in partes Galliarum venerimus, in epistola, quam gloriæ vestræ misimus, plenissime significare studuimus: nescimus tamen quo tempore ad vos peruenit, & de eo, quare nobis non dedit dilectio vestra responsum. Quapropter quæso fili carissime, ad nos vt ad colloquium quod cum Ludouico rege Caroli imperatoris filio apud Treca habituri sumus, si possibilitas non obstitat, venire acceleretis; vel si aliquo obstaculo præpedimini, vt non optamus, strenuos legatos nobis dirigite, per quos gloriæ vestræ quæ animo nostro resident, fidenter mandare valeamus, locum nobis simul nomine tenus designate, quo frui vestro colloquio, & germani vestri Caroli gloriosi regis valeamus. Quoniam de

hac terra nullo modo regrediemur, priusquam, Deo auxiliante, percongrua & mutua vobiscum misceamus colloquia. Data vt supra.

## EPISTOLA CXIX.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM REGEM.

Arguit quod vocatus ad se non venerit, sicut Ludouicus rex fecerat. monet sub excommunicationis pœna, vt sui regni finibus contentus nullam Bosoni molestiam exhibeat.

*Dilecto Carolo glorioso regi.*

**S**ERVANS fidem Francorum regibus, secundum prædecessorum meorum pontificium, multos & duros labores in mari & in terra pertuli; ab Vrbe & Romana sede in Franciam veni. omnes vos legatorum tam viua voce, quam epistolis studui conuocare, vt pactum quod aui & patres vestri sanctæ Romanæ ecclesiæ iureiurando promiserunt, adimplere contenderetis. Sed heu proh dolor! cuncti venire per inobedientiam neglexistis, præter Ludouicum regem diuæ memoriæ Caroli imperatoris filium, cuius consilio atque hortatu Bosonem gloriosum principem, per adoptionis gratiam filium meum effeci; vt ille in mundanis discursibus, nos libere in his, quæ ad Deum pertinent, vacare valeamus. Quapropter contenti termino regni vestri pacem & quietem habere studete: quia modo, & deinceps excommunicamus omnes, qui contra prædictum filium nostrum insurgere tentauerint. Data vt supra.

## EPISTOLA CXX.

BERNARDI COMITIS EXCOMMVNICATIO.

**B**ERNARDVM sacrilegum, filium Bernardi & Belihildis, sacrarum rerum ecclesiasticarum peruaforem, regiæque a Deo ordinatæ potestati contradictorem, a proprio archiepiscopo Frotario, cui & ciuitatem, & omnia quæ habuit sustulit, tertio vocatum, a nostra autem apostolica auctoritate bis, & a regia sublimitate semel reuocatum, venire nolentem & in pertinacia sua permanentem: qui etiam ab hominibus suis sacramentum damnabile & dam-